

*Leo Allatius una etiam Auberto miserat opuscula duo alia quæ nusquam potui reperire* Primum est, Ἀθελλος ὀρθοδοξίας, Libellus rectæ fidei, ejus initium esset : Πιστεύω εἰς ἕνα Θεόν Πατέρα παντοκράτορα. Credo in unum Deum Patrem omnipotentem. Et ex fragmento quod idem Allatius in *Diatriba recitat*, n. 60, intuli illud diversum fuisse ab eo quod ante dedimus cum hac inscriptione : Ἀθελλος περὶ ὀρθοῦ φρονήματος. Libellus de recta sententia.

Opusculum aliud erat Περὶ πίστεως κατὰ Νεστοριανῶν De fide contra Nestorianos. Principium, Ἐβαί μὲν ἡμεῖς τοὺς ὑπὸ Θεοῦ σεσωμένους. Oportebat nos qui a Deo salvi facti sumus.

**663** Operum sancti Joannis Damasceni, seu ejus nomine insignitorum collectionem claudet *Expositio fidei* ab aliis quas ante dedimus diversa, quam Arabicam cum genuinis aliis ejusdem lucubrationibus reperi in cod. RR. PP. presbyterorum Oratorii Parisiensis, copiam ejus mihi faciente doctissimo R. P. Lelong, bibliothecæ ipsorum præfecto meritissimo. Exemplar Græcum hujus opusculi dudum, sed incassum quæsivi. Quamobrem adhibita primum amici Arabici sui idiomatis callentissimi opera versionem Latinam adornavi; quam vir ejusdem aliarumque linguarum, ut et theologiæ, Orientalium peritissimus perhumane recognovit emendavitque. Declarationem porro istam rectæ fidei nostri auctoris sincerum esse fetum mihi extra dubium est, propter summam cum aliis ejus operibus theologicis consonantiam, tam quoad doctrinam et sententias, quam quoad earum enuntiandarum rationes quæ hinc inde obviæ sunt, Damasceno prorsus proprias.

## S. JOANNIS DAMASCENI

### EXPOSITIO ET DECLARATIO FIDEI.

*I. Joannes Damascenus ad Ecclesiæ regimen alle-* **A** esca solida corporis Jesu Christi Dei nostri, Unigeniti tui, sanctissimi, et inebriasti divino calice, vivifico scilicet sanguine ejus, quem effudit pro salute totius mundi. Quia, Domine, dilexisti nos, et substituisti Filium tuum unigenitum dilectam pro redemptione nostra, quam suscepit volens, nec repugnans; quinimo eum qui destinatus erat ad sacrificium velut agnus innocens, cum se ipse ad hoc posuerit: quia cum Deus esset, factus fuit homo suaque voluntate humana subiecit se, factus obediens tibi Deo Patri suo usque ad mortem mortem autem crucis. Sic quidem, o Christe Deus meus, humiliasti temetipsum, ut me ovem errantem humeris tuis tuleris, paverisque me in loco virenti, et nutrieris aquis rectæ doctrinæ per manus pastorum tuorum, quos tu cum ipse paveris, electum subinde illi eximiumque gregem tuum paverunt. Vocasti me nunc, o Domine, per manus pontificis tui ad ministrandum alumniis tuis. Qua vero id providentia feceris nescio: tu solus id nosti. Verum, o Domine, levem facito sarcinam gravem peccatorum meorum, quibus graviter deliqui; mentemque et cor meum munda. Deduc me per viam rectam eum lucerna lucens. Da mihi sermonem in apertione oris: claram expeditamque linguam præbe per igneam Spiritus tui linguam: ut presentia tua me semper inspiciat. Pascere me, Domine, et pascere mecum, ne cor meum inclinet me, neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed Spiritus tuus bonus dirigat me in viam rectam.

*ctus.* — Quis sapiens est, ut intelligat amplitudinem clementiæ Dei ejusque bonitatis erga nos, qui nostri misereri voluit, ita ut ad servos suos se dimitteret, pauperes eorum erecturus, et de stercore inopes exaltaturus, collocando eos in solio nobilitatis et excellentiæ suæ cum principibus populi sui? O profundas bonitatis Dei nostri divitias! quis cognovit unquam sensum Domini? quam magnum mysterium est quod mihi explicandum incumbit! Sit ergo, Domine, ampliam hoc negotium opus acceptum tibi, in quo persequendo a te non deserar, aut negligar; quin potius tibi placeat. Opella mea ejusmodi non sit qua opinionem hominum aucuper, sed qua tu ipse læteris. Non ad pœnam cedat amicis tuis, quia amici tui sunt, quamlibet pauci: non ad plectenda ipsorum peccata, sed ad salutem hoc eis conferat. Tu, Domine, eduxisti me de lumbis patris mei: tu me formasti in utero matris meæ; tu in lucem me puerum nudum edidisti, quia naturæ nostræ leges præceptis tuis perpetuo morem gerunt. Tu præparasti per benedictionem Spiritus sancti creationem meam et existentiam meam, non ex voluntate viri, aut desiderio carnis, sed gratia tua quæ non potest enarrari. Præparasti nativitatem meam præparatione quæ naturæ nostræ leges superat, me in filium adoptando in lucem emisisti, ascripsistisque inter alumnos Ecclesiæ tuæ sanctæ et immaculatæ. Tu me nutrivisti lacte spirituali, lacte, inquam, divinorum eloquiorum tuorum. Tu me sustentasti



meaque opera secundum voluntatem tuam fiant atque utinam ita fiant. Tu vero, o vertex nobile exactissimæ puritatis, o cœtus Ecclesiæ præstantissime qui auxilium a Deo præstolaris : o tu in quo requiescit Deus ! accipe a nobis doctrinam fidei ab errore immunem, qua roboretur Ecclesia, quemadmodum a Patribus nostris traditum fuit.

II. *Professio fidei.* — Credo in unum Deum, principium unum sine principio, substantiam unam, substantia essentiave superiorem, sempiternum, increatum, immortalem, perpetuum, omnipotentem, causam bonam omnium bonorum, omnium quæ sunt Conditorum, omnia complectentem, omnia curantem, omnia continentem, ejus possessio æterna est et in itii expers, abyssum essentiæ imper-scrutabilem, 664 infinitam, et immensam, abyssum item sapientiæ et bonitatis, potentia ejus enarrari vis nequeat, lumen purum et expers materiæ, unum in tribus personis ejus substantia una, voluntas una, actio una, potestas una, dominatus unus, regnum unum, in personis tribus agnitum, sine divisione, confusione et permistione ; Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, citra contractionem et confusione[m] [ἀνευ συναλοιφῆς καὶ συγχύσεως] : ut nempe Pater non sit Filius, nec Filius, Pater, nec Spiritus sanctus Pater aut Filius, cum salva unicuique personalis sua qualitas sit in essentia sua, divinitate scilicet indivisa permanente : quia sese mutuo penetrant personæ sine perturbatione commistionis, aut alterius ab altera secessionem. Quod manifestum sit eo quod Pater in Filio et Spiritu sancto sit ; Filius item in Patre et Spiritu sancto ; et Spiritus sanctus in Patre et Filio. Enimvero Pater est perfectus Deus, Filius quoque perfectus Deus, et Spiritus sanctus perfectus Deus. Cum enim unusquisque illorum trium perfecta persona sit, Deus proinde perfectus est : et vicissim unusquisque ex tribus Deus perfectus est, quia est persona perfecta. Item unusquisque perfectus est Deus, et tres unus Deus sunt, quia essentia illorum una est, virtus una, actio una, dominatus unus. Id vero non est secundum rationem specierum in rebus creatis. Nam in illis facile est ut intellectus in hominibus perspiciat aliquid amplius quam in alia specie perspiciatur, nempe cum mente colligit ideas separatas in unam substantiam essentiave, voluntatem unam, actionem unam : quia individuum

A quodcumque, qua actu existit, distinctum est secundum essentiam ab alterius essentia. Quod demonstratur, quia anima alia atque alia est, corpus aliud atque aliud est ; adeoque alius et alius sunt ; licet eorum essentia una sit. Utraque earum distinguitur ab altera, loco, tempore, et motu operationum suarum naturalium. V. gr. Petro suapte natura volente aliquid, non continuo idem vult Paulus, tametsi suapte natura peræque habeant ut velint. Et quando esurit Paulus, non simul esurit Petrus, quamlibet uterque proprietatem naturalem esuriendi habeat : eo quod ambo quæ sibi propria sunt possideant. Atqui virtus naturalis manifesta fit per discursum intellectus ex convenientia, ut cum inveniuntur multi similes motus qui ex naturæ legibus eientur secundum statum unum naturalem. Sic porro fit apud nos. Verum quod ad sanctam Trinitatem attinet, non ita res se habet. Etenim essentiæ divisa non sunt, neque loco, neque tempore, neque voluntate, neque efficientia, neque ulla re ex his quæ denotant in nobis discrimen personarum et rerum creatarum multiplicationem : sed hoc solummodo fit per relationem unius ad alium, et secundum exstantiæ modum [κατὰ σχέσιν καὶ τρόπον ὑπάρξεως] juxta ac superius diximus. Nam Pater absque principio est, et Filius est ex Patre per filiationem, et Spiritus sanctus ex Patre per Filium, non per filiationem, sed per processionem. Ac si necesse est nobis hoc obscuris imaginibus et tenuibus quibusdam umbris assimilare, dicemus hanc trinitatem esse ad instar solis, qui lumen emittit suum, aut intellectus qui verbi sui est fons ; quia lumen nascitur ex sole, et verbum gignitur ab intellectu. Siquidem a sole radii luminis oriuntur, atque ab intellectu oritur spiritus qui manifestatur per verbum quod emanat ex abscondita scaturigine sua, splendorem suum naturalem explicans. Fons itidem omnibus aquam exhibet, quæ bibitur, fluit, profunditur. Sic quoque ad Filium Pater, qui non est ex Filio, sed genitor est Filii, et Filius ad Patrem refertur, atque ex Patre est, quia natus est ex Patre, et Spiritus sanctus ad Patrem refertur, atque est ex Patre, quia est ex illo, non filiationis more, sed processionis. Itemque Spiritus sanctus Spiritus est Filii, sed non est ex Filio. Est tamen ad Filium, quia emanat per illum (1) et ex illo. At non est ex Filio, quia Pater una est causa, tum Filii, tum Spiritus

## NOTE.

(1) Quia emanat per illum et ex illo. Nullus dubito quin Damascenus scripserit, ὅτι προχέται δι' αὐτοῦ καὶ ἐξ αὐτοῦ, propter exemplum scaturientiæ, fontis, et rivi quod ante usurpaverat processionem divinas enarrando. Eodem modo Cyrillus in synodica ad Nestorium, quam anathematismis suis præmisit, de Spiritu sancto ait, Προχέται παρ' αὐτοῦ, καθάπερ ἀπέλει καὶ ἐκ Θεοῦ καὶ Πατρὸς. Profunditur ab eo, sicut et ex Deo et Patre. Unde Theodoretus intellexit sanctum hunc doctorem non alio sensu dixisse anathematismo 9, Spiritum sanctum, esse proprium Christi, nisi quia ex ipso prodiret. Enimvero Cyrillus ipse mentem suam in Ephesina synodo ita declaravit in expo-

sitione ejusdem anathematismi : Καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ, καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ Πνεῦμα ἅγιον. Proprium habens Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsique sua ipse essentia inest, divina signa patrabat. Quamobrem nec Damascenus ex toto hic negaverit Spiritum ex Filio procedere, sed quo sensu pertenderat Eunomius, ceu Spiritus, uti res creata, effectum esset Filii, aut quo Apollinarius, ut Spiritus hac processione Filio minor censeretur, vel tandem Filius primordialis ejus causa, seu principium putaretur. Theodoretus quidem sibi aliquando blanditus est, quasi Cyrillum adegerit, ut processionem Spiritus ex Filio docere desineret. Verum Alexandrinus præsul in



sancti, utriusque ex æquo, ut Pater simul sit et Filius Pater, et productor Spiritus. Nam quæ supra non sunt, ex iis quæ nobis affinia sunt appellamus, cum propter excellentiam fieri non possit ut definiatur, quomodo quisque ad alterum **665** se habeat, et quisque concipiat in seipso quid alterutri conveniat, et veram rationem exstantiæ ejus.

III. *Trinitas personarum, unus Deus.* — Tribus itaque motio una est, et splendor unus: nec sunt tres motiones similes, sed una eademque motio: quod exinde constat, quia Pater qui extra tempus est, vult per Filium qui Verbum ipsius est et sapientia subsistens, et per Spiritum perficit productionem suam: sicuti mens nostra rationem naturalem impulsu naturali cogitando movet ad manifestandum id quod cogitavit, illudque perficiendum. Mens autem nostra istis rebus non caret; quia fieri nequit ut nostra mens ratione destituta sit, aut spiritu, qui palam prodeat. Quocirca Pater vult et intelligit per Filium suum, et quidquid per ipsum cogitat, illud facit, et perficit per Spiritum omnia quæ fecerit. Deus Pater perpetuo comprehendit in se Verbum suum, quod ex se semper non sine oblectamine genitum est, persona voluntate prædita et perfecta. Propterea non cessat esse Filius, et Spiritus sanctus cum Verbo semper adest; quia Filius absque Spiritu et Spiritus sine Filio perfectione caret, qua exprimitur [*γνωρίζεται*] et existat. Non enim Deus noster ullo tempore Verbo suo caruit neque Verbum Spiritu; ne qui perfectus est perfectionis aliquando expers fuerit. Nam res creatæ, quando habuerunt existentiam, ea ante carebant: quia cum non essent, ad hoc pervenerunt ut essent. Ast non ita res se habet in natura divina, nec ulla productio nova fit in Trinitate. Omne verbum virtus substantialis est intellectus. Neque id tantum, sed virtus qua producitur, ipsa via est ad

A producendum spiritum. Atqui Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, Deus unus sunt. Quilibet trium Deus perfectus est: hypostasisque perfecta, et idcirco unus trinusque Deus est. Quod exinde constat, quia quilibet eorum quando de distinctione ipsius agitur, Deus est perfectus, quia perfecta hypostasis est: et Trinitas, ubi una cum alia intelligitur, Deus unus est. Enimvero non convenit naturam divinam genituræ expertem esse, ulliusve perfectionis. Quo enim pacto qui genitura destitutus sit, perfectus fuerit. Neque viri eruditione insignes his contradicunt<sup>1</sup>. Idcirco itaque genuit Filium, et Spiritum eadem vi produxit, ut Deus esset unus et unusquisque trium perfecta persona, ne divinitas sit proprietas sine perfectione; neve Deus perfectus ex illis rebus imperfectis constet. Quin potius in Trinitate perfecta Deus unus sit perfectione omni superior et anterior [*ὑπερτέλειος καὶ προτέλειος*].

IV. *Diversa Spiritus vocabuli significatio. Malum substantia non est, contra Manichæos.* — Cum autem Spiritus unum nomen sit, ejus nihilominus diversa significatio est. Nam significat vivum quid quod materia caret; unde Scriptura dixit: *Spiritus est Deus*<sup>2</sup>. Denotat etiam aliquando aerem et motum aeris, seu ventum: itemque angelum et animam et intellectum qui est pars animæ. Denique significat illud quod Verbi vehiculum est, secundum quam significationem, Spiritus sanctus appellatur: veluti nempe Scriptura sacra dicit: *Verbo Domini cæli creati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*<sup>3</sup>. Atqui os Dei neutiquam corporeum membrum est, neque Spiritus est halitus evadens et tenuis: sicut neque Verbum Dei est, quod lingua corporali edatur, in auras illud emittendo: quia impossibile est Deum habere aliquid contrarium essentiæ suæ. Deus autem, quia, sicut diximus, principium non habet, rerum con-

<sup>1</sup> Nonnihil hic ab interprete Arabico erratum sentio. <sup>2</sup> Joan. iv, 24. <sup>3</sup> Psal. xxxii, 6.

#### NOTÆ.

Dialogis septem de Trinitate ad Hermiam quos eo tempore evulgabat, indiscriminatim affirmavit, Spiritum et ex Filio, et per Filium existere et procedere. Quinimo dialogo 8, qui est de incarnatione Verbi contra Nestorii hæresim, perinde rursus docet Christum, non alienum Spiritum baptizatis mittere, servi et ministri more, sed qua Deus secundum naturam est, μετ' ἐξουσίας τῆς ἀνωτάτω τῷ ἐξ αὐτοῦ καὶ ἰδίου αὐτοῦ, cum suprema potestate Spiritum, qui ex se est, sibi que proprium, largiri. Cæterum, uti Græci theologi Spiritus processionem impulsivam instar esse (ὁρμησ) explicant, aiuntque nec suum Deo deesse Verbum, nec suum Verbo Spiritum, quia Verbi prolatione Spiritus emittitur; esse Spiritum lucem quæ a Deo tanquam a sole per Filium ceu per radium editur; vel ut flumen e scatebra per fontem exiens: quin Nazianzenus et Damascenus noster, mysterium istud Πλατωνίζοντες hoc effato complexi sunt, unitas in binarium progressa in ternario stetit: sic Latini Spiritum ex Patre Filioque procedere dixerunt, quia mutus amborum est amor. Quod quidem acceperunt ex libris quos Augustinus prima ætate de Trinitate scripserat. Atqui ex Claudiano Mamerto lib. 11 De

D statu animæ, cap. 7, comperi, theologiam hanc expositionem perinde transumptam esse ex principiis Platoniorum. Claudiani locus sic habet: *Quo fit ut mirari satis nequeam hujus Platonis animam, quæ tantis equidem sæculis ante puerperium Virginis, ante incarnationem Dei, ante hominis resurrectionem, ante prædicatam in gentibus summæ Trinitatis unitatem ineffabilem, unum, tres in divinitate personas, laudabili ausu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio, quæsit, invenit, prodidit; Patrem Deum, paternamque mentem, artem sive consilium, et utriusque amorem mutuum; unam, summam, æquiternam, indivisam divinitatem, non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse convicit. Sic inconsuetum Patribus non fuit, ut adhibitis identidem extraneæ philosophiæ principiis quæ Christianis dogmatis non adversarentur, fidei capita edissererent. Ad Damasceni vero locum quod attinet, observatione dignissimum est, eam relationem Spiritus ad Filium, qua nempe distinguitur a Filio, non aliunde potere quam ex ejus per illum et ex illo emanatione. Quod sane urgentissimum videtur contra schismaticos.*



ditarum patrare creationem voluit per Verbum suum, quod sine initio est, necnon per Spiritum, qui nec ipse initium habet. Verum dicendo Deum principio expertem ἀναρχον esse, hoc duo significat, nempe eum non habere causam, nec initium in tempore: ac Pater secundum hæc duo significata principii est expertus; Filius vero et Spiritus temporale initium non habent, quia conditor temporis neque tempus habuerit, neque subditus tempori fuerit: at vero causæ expertes non sunt. Pater siquidem eorum principium est, a quo existentiam habent, non tamen ut post illum sint. Possident illud omne quod possidet Pater possessione substantiali<sup>4</sup>. Ipse vult sine principio, quia mutari nequit; et ipse novit sine principio quidquid ad nos spectat: ea veluti ad nos non spectarent desinit sine principio; desinit, inquam, ea veluti ad nos non spectarent, sine tempore. Quæ vero prædeterminavit et desinivit, eorum unumquodque perficit in tempore suo. Quidquid enim prædeterminavit, illud est bonum. Nam malum substantia non est, nec quidpiam quod existat; quia fieri non potest ut ex bono malum producat, quemadmodum e contrario neque ex malo bonum, aut utriusque permistio: quoniam ambo contraria sunt, nec alterum cum altero convenientiam amoris habent ad invicem, neque consuetudinem. Impossibile prorsus est ut duo principia sint initii expertia: quippe cum unitas naturæ principium sit binarii. Insuper propriis suis circumscribuntur locis, nec commiscuntur, ita ut initium unius pertineat ad extremum alterius. Quin nec societate ulla junguntur, invicemque adversaria sunt. Quinam igitur erunt inclusum et includens, recondens et reconditum, debellans et debellatum? Avertat Deus, ut hæc dogmata nobis adoptemus!

V. *Malum est defectio a naturali obedientia. Oritur ex pravo usu liberi arbitrii.* — Itaque Deus noster, Deus unus est, ut ostendimus, omni initio carens: dicimusque malitiam nihil esse aliud nisi accidens, et actum declinantem a lege quam indidit Deus naturæ rationali [in actibus ejus et hypostasi ejus<sup>5</sup>], esseque in rebus quæ existunt tanquam defectus operis naturalis, haud secus atque cæcitas in corpore. Quin et hæc solummodo reperitur in creaturis ratione præditis. Atque hoc constat, quia natura divina variationi subjecta non est, neque peccato, sed unum eundemque statum semper tenet. Quin et bruta quæ ratione destituta sunt, legem non acceperunt, neque legem, neque prævaricationem apud illa reperire sit. Sed creaturæ, in quibus variatio reperitur, una cum potestate arbitrii, cum satis ipsis cognitionis insit eorum quæ fugere debent, legem acceperunt ad agendum: quia creaturis ratione

utentibus non convenit, ut se gerant ad instar brutorum. Quocirca ornatæ fuerunt liberi arbitrii facultate: quia libera voluntas perfectio quadam est; conveniens naturæ rationali, ne subjecta sit affectionibus brutorum, quando id honoris habeat ut sit ad imaginem Dei. Quinam enim qui potestatem sui non habet, imago Dei sit? **666** Atqui liberam voluntatem habere, creaturæ rationalis bonum est, sive bene ea utatur, sive non. Quapropter legem suam Deus concessit illi qui liberi arbitrii est, ut eam implendo se esse noverit sub Domino suo, neque se extollat supra modum et vires suas, sed legis ope deducatur in actibus suis, velut per lumen quo dirigatur. Nam hoc solum bonum Deus desiderat, ut humiliet se coram potentia Creatoris sui, et per conjunctionem cogitationis suæ cum principe suo beatitudinis fiat compos. Cum vero non intellexit dignitatem liberæ voluntatis suæ, qua donatus fuit, sed comparatus est jumentis insipientibus<sup>6</sup>, agendo illud quod non convenit, accidit in mente ejus malitia; quia omni servo incumbit ut heri sui mandatis morem gerat. Liberum siquidem arbitrium non est aliquid pravum, neque causa est aut occasio mali: sed quemadmodum lex justa et sancta est, ut in ea nec peccatum fuerit, sic libera voluntas bonum est aliquod creaturæ rationalis. Atque id manifestum sit, quia libertas arbitrii necessario convenit naturæ rationali, ut Gregorius Nyssenus docet<sup>7</sup>. Quisquis enim suapte natura rationalis est, ille quoque liberi est arbitrii: et ei qui liberi non est arbitrii, lex data non fuit. Cui vero data non est lex, in eo prævaricatio non invenitur. Quamobrem Magnus Basilius<sup>8</sup>, vir Deo plenus, ait, liberam voluntatem originem esse peccati: non quod de ratione ejus sit, ut ex ea vitium nascatur, ut necesse sit et illum qui liberi arbitrii est, vitium admittere, quia dominus sui est; sed cum eo prave utatur, pravus is usus peccatum censetur. Quin et negligentia est causa mali, quia disponit ad illud agendum quod nobis prohibetur. Quapropter malum non est a Deo, neque substantia est, verum accidens et defectio a naturali obedientia, et a potestate illa naturali tradita creaturæ rationali super animantia ratione carentia. Eaque soboles et filia est perversi in discernendo judicii, et peccatum ignorantia est. Quæ viri docti de hac re tradiderunt, sensum hunc unum habent.

VI. *Homini creatio. Perstrictus primum Origenes. Homo ex duabus naturis constat.* — Credo itaque in unum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unius substantiæ, unius voluntatis, unius virtutis, unius operationis, unius dominatus, regni unius, sine principio et interitu, æternum, tres hypostases perfectas, unamquamque Deum perfectum, et tres personas perfectas Deum unum.

<sup>4</sup> Id est, in essentia sua. <sup>5</sup> Hic genuinus auctoris sensus esse non videtur: sed alter non occurrit, quando Græca desunt. <sup>6</sup> Psal. XLVIII, 13. <sup>7</sup> Orat. catech. cap. 31. <sup>8</sup> Hom. *Quod Deus non sit auctor malorum.*



Huncque creatorem et mirabilium effectorem, qui res conditas produxerit ex nullis exstantibus. Neque confiteor rationales animas prius existisse: sed juxta ac tradit Scriptura, Deum creasse hominem. Atqui homo non est anima sola, neque corpus solum, sed quod ex utroque constat: *Quocirca accepit Deus pulverem de terra*<sup>9</sup>. Nam de materia quam ante creaverat produxeratque, condidit corpus ejus, et indidit illi per flatum suum animam ratione et intelligentia præditam, ad imaginem suam, et coaptavit hominem ex his duobus, personam unam, viventem, compositam, possidentem in se duas naturas; quia corporis et animæ non una essentia est, sed alia atque alia natura est, quarum non una est essentia; cumque alia atque alia natura sit, nequaquam est una. Quod perspicuum sit, quia corpus nostrum suaapte natura, neque motum, neque sensum habet. Quod quidem mors certum facit, qua corpore et anima sejunctis, quodlibet eorum una natura quædam esse demonstratur. Quare cum homo ex duabus naturis constet, naturam in se duplicem habet, atque adeo mortalis est et immortalis, visibilis et invisibilis, expugnabilis et inexpugnabilis, divisibilis et indivisibilis, latens et apparens; qui secundum utramque affici patique possit et immutari, et quod doloris sit capax et affligatur secundum partem contrariam. Homo itaque naturis duabus constans, persona una composita est; quamlibet natura hominis, natura una composita dicatur, qua species una est composita, comprehendens personas hominum compositas, ac essentia unius sit essentia alterius, quia unaquæque eorum hypostasis ex corpore et anima composita est.

¶ VII. *Homo legi subjectus a creatione. Lapsus hominis.* — Confiteor hominem hunc positum a Deo esse in horto voluptatis, accepisseque a Deo legem, qua se Domino suo esse subjectum intelligeret. Hæc parro lex est scientia obedientiæ, lucerna lucens qua dirigatur ad id quod sibi consentaneum est. Quia convenit ut, cum compositus sit ex anima et corpore, huic facile non contraveniat, sed distribuatur bona animæ suæ, cujus auctor et doctor est ille a quo creata fuit, qui curam ejus habet, qui solus novit omnia. Non igitur vult hominem sui operis judicem esse, non, etsi ad perfectionis apicem pervenerit, aut summa sollicitudine corpus cui permistus est, curare: sed voluit ut sequeretur legem suam sine remissione, ne aberraret ac declinaret ab eo quod sibi facere incumbit: neque voluit eum habere in sua natura bonum et malum, sed concessit ut sciret utrumque. Quamobrem voluit ut bonum nosset per legem suam divinam, ne deciperetur a rebus corporalibus propter oblectamenta earum. Illum itaque conservus ejus non satis sollicitum cernens,

A invidit ei, et per invidentiam dejecit eum: qui depresso intellectu suo rebellavit adversus legem Creatoris sui, corpusque suum sordibus inquinavit. Quo factum est, ut comparatus sit jumentis insipientibus et similis factus sit illis<sup>10</sup>: obnoxius miseris fuit, expulsusque est e paradiso tanquam rebellis, superbus et miser; quia consentaneum non erat, ut malitia immortalis esset. Nimirum ille qui livore erga eum arserat, apprime norat quandiu is Creatori suo obsequens perseveraret, Dominoque suo conjungeretur, ipsum perventurum ad virtutum possessionem, earumque perfectionem, intellectu perfecto, recto et grato locupietatum, atque in statu suo cupiditatibus carnis superiorem fore, ut ligni vitæ compos fieret, hoc est incorruptionis. Atque ex hac parte invidentia aculeus serpentis fuit, ut qui jam rebellasset, sententiæ quoque fieret obnoxius.

VIII. *Dei erga hominem humanitas. Incarnatio Verbi.* — Verum Deus noster, cum natura sua benignus sit, non sustinuit ut hominem quem seceerat insolenter exagitatam videret a diabolo, qui per fraudem duræ servituti ipsum subjecisset. Locutus est Dominus patribus nostris multifariam multisque modis in prophetis, et novissimis temporibus<sup>11</sup>, juxta ac promiserat patribus nostris, misit Filium suum unigenitum, natum ex muliere, ut succurreret homini divinæ legis refractario. Quia homo Dei lege violata factus erat mortalis ob damnationem, hic legem implevit ea perfectione quæ in hominem caderet, solvitque judicia humanæ naturæ. **667** Cum itaque in cælis haberet Patrem, natus est de femina Virgine sine patre. Fieri siquidem non poterat ut duobus ex patribus persona una nasceretur. Quamobrem juxta ac Patri suo complacitum erat, et eo quo ipse novit modo, Dei Filius citra conjugale consortium conceptus est ex utero Mariæ Virginis, quæ, veluti fertur in Scriptura, de radice Jesse, de tribu Juda et familia David, deque semine Abraham progenita erat<sup>12</sup>. Factus porro est sine conversione caro, et habitavit in nobis<sup>13</sup>: factus est caro anima rationali et intelligente prædita, homo perfectus, sine peccato; quia peccatum ad naturæ humanæ constitutionem non pertinet: factus est caro citra conversionem aut mutationem in carnem, et citra confusionem, qua factus fuisset ex duabus rebus aliis altera quædam. Et enim essentia ejus mansit eadem ac essentia Patris, sine ulla mutatione Deus verus, nec divina natura conversionem ullam admisit, manens id quod erat, neque confusionem, ~~quæ~~ adjectionem: sed servavit corpus quod accepit sine mutatione, ut humanæ naturæ conditio scirebat. Factus est caro, hoc est carnem assumpsit; et qui Filius erat Dei, factus est hominis filius, filiationis proprietate immuni servata ab alteratione et

<sup>9</sup> Gen. ii, 7. <sup>10</sup> Psal. XLVIII, 13. <sup>11</sup> Hebr. i, 1. <sup>12</sup> Isa. xi, 1. <sup>13</sup> Joan. i, 14.



mutatione. Propter hanc rationem permansit natura, atque hypostasis ejus sive persona absque conversione facta est caro, quando factus est hypostasis carni suæ; quia non est unitus corpori quod ante substitisset, sed cum per Verbum conciperetur formareturque, in Verbo simul anima existit cum corpore, ejus coagulatio divino semine facta fuit. Atque hoc est esse hypostasim. Nam corpus ejus non habuit peculiarem hypostasim seorsum, sed Verbum pro hypostasi habuit. Quapropter unus Filius est, unus Dominus, qui non est præter duas res diversum quid. Quin non est ipse natura una composita ex deitate et humanitate, sed ex rebus duabus duæ res. Est enim perfectus Deus et perfectus homo ex deitate et humanitate, ejusque corpus naturam habet immunem a mutatione<sup>14</sup>, quoniam ambo (corpus et anima scilicet), quia creata conjunctaque sunt in tempore, ipsa quoque in hypostasi Verbi consistunt, quia a Verbo acceperunt ut subsisterent.

**IX. Duæ naturæ secundum hypostasim unitæ, contra Nestorium et Nestorianos. Numerantur naturæ sine divisione.** — Quamobrem duæ naturæ in Christo sunt, quia deitas et humanitas non sunt una natura, ut una persona, cum sit Filius unus, Christus unus, et Dominus unus. Nam quando per Verbum conceptio facta est, in eo quoque velut in hypostasi constitit corpus ex Virgine per unionem, unaque fuit incarnatio Verbi et deificatio carnis. Finge tibi imaginem ignis, ejus hypostasis est materies qua urit, quæ accipiendo in se penetrationem ignis, ejus efficientia repletur. Ignis quippe actionem continet, omnemque illius proprietatem. Nam ferrum dum incalescit, non frigidat ignem. At in singulari mysterio Christi, Verbum incarnatum fuit, quo tempore corpus ejus substitit unione cum ipso; ita ut illud præveniret sub-

<sup>14</sup> Hic quidpiam videtur deesse.

(2) Dicimus Christum duas esse naturas. Monophysitæ ac Monothetæ perinde a Damasceno hic vapulant: dudum vero antea Cyrillus ipse Alexandrinus scholio 1, de incarnatione pronuntiaverat, Christi vocabulum nec definitionem admittere, nec alicujus essentiam aut naturam efferre, velut nomen hominis, aut equi, aut bovis et similitum. Τὸ Χριστός ὄνομα, οὔτε θεοῦ δύναμιν ἔχει, οὔτε μὴν τὴν τινος οὐσίαν, ὅτι ποτέ ἐστι σημαίνει, καθάπερ ἀμέλει καὶ τὸ ἄνθρωπος, ἢ ἵππος, ἢ βοῦς· πράγματος δὲ μᾶλλον ἐνεργουμένου περί τινα ποιεῖται δῆλωσιν, ut rei magis quæ in aliquo agatur significationem præbeat. Quo sane loco objectam sibi a Nestorianis hæresim quam postmodum Eutyches et Monophysitæ alii tulit sunt, prælocabat. Si enim Christi nomen quo naturæ duæ unitæ significantur, essentiam aliquam non exprimit, omnino sequitur ex concursu naturarum divinæ et humanæ unam in Christo factam non esse naturam compositam, sed personam duntaxat. Scholium tamen istud a nemine eorum qui contra Monophysitas scripserunt allegatum reperi, præterquam a sancto Maximo in epistola ad Joannem Cubicularium, *De rectis dogmatibus et adversus Severum*, p. 276, in libro *De duabus voluntatibus*, p. 109; atque in priori loco Combessius scripsit in margine: *Non occurrunt hæc in Cyrilli scholiis quæ*

**A** sistentia Verbi, quæ facta est illi hypostasis veluti substandi principium, ejusque existentie origo prima. Quocirca corpus ejus deificatum fuit accipiendo penetrationem [περιχώρησιν] deitatis in seipso, ejus operatione impletum fuit. Quia Verbum affectit illud proprietatibus deitatis, ita ut divinis veluti vuhneribus perforatus sit. Neque vero pervenit ad naturam divinitatis ipsius dolor corporis ejus: idcirco vivificum factum est, divinitate impassibili manente: velut nimirum gladius candens, cum sit unus, non duo gladii, adeoque hypostasis una, in seipsa possidet duas naturas; quia natura ferri non migrat in naturam ignis, neque natura ignis in naturam ferri, sed utraque, quando conjunguntur, manet in propria natura, etiam post unionem. Atqui gladius candens ustionem facit et sectionem; quia accepit a ferro naturam solidam, et ab igne naturam subtilem. Sed neque sectio ignis est, neque adustio ferri, etiamsi simul sint, sed utraque actum suum edit. Sic Christus et Dominus unus, cum diversas naturas habeat, deitatem scilicet et humanitatem, deitas ejus in corporis naturam non migravit, neque corpus in naturam Verbi; sed utraque post unionem permansit libera et immunis a conversione et mutatione. Porro Christus unus cum sit, divinitatis suæ edit opera, et opera humanitatis; cum complectatur in se naturam increatam, expertemque materię aut corruptelæ, necnon naturam creatam, materialem et corruptibilem. Itemque **C** Christus aliud quid secundum naturam significat, qua parte opera deitatis facit, et aliud rursus qua parte edit opera humanitatis. Nam unaquæque natura agit quod sibi proprium est cum alterius communionem. Apposite igitur dicimus Christum duas esse naturas (2) post unionem, quia operationes quæ non repugnant secundum conditionem

#### NOTÆ.

**D** existant. Quod viri doctissimi testimonium in causa fuit, at in adnotationibus ad cap. 3 lib. in *De fide*, adjeceram scholium istud Cyrillo recentius mihi videri; quippe quod, ut dicebam modo, tametsi disertissimum erat, a nullo altero scriptore catholico contra Monophysitas Severianosque citatum memineram, uti nec a me lectum in operibus Cyrilli. Non solum vero verba hæc initio scholii primi Cyrilliani de incarnatione visuntur in variis editionibus, tum sancti doctoris, tum Ephesinæ synodi, verum etiam apud Marium Mercatorem, qui illud, ut et cætera quæ subsequuntur, in Latinam linguam transtulit. Cæterum in epistola ad Joannem Cubicularium priores istæ voces: Τὸ Χριστός ὄνομα, οὔτε θεοῦ δύναμιν ἔχει, οὔτε μὴν τὴν τινος οὐσίαν, Cyrilli sunt: quæ vero sequuntur ὑποστάσεως δὲ τῆς τοῦ Λόγου, hypostasis vero Verbi, etc. Maximi, Alexandrini doctoris observationem compendio referentis, quæ proinde Combessius tanquam Cyrilli essent, italicis litteris perperam excudit. Scholia de incarnatione Unigeniti Cyrillus scripsit post sancitam pacem cum Orientalibus, atque idcirco in eis deditiori opera, ut unam Christi personam, ita duas naturas propugnat et explicat.



naturalem, omnino dicendæ sunt operationes unius A naturæ. Itemque operationes quæ nullam affinitatem habent secundum naturalem conditionem, dicendæ 668 prorsus sunt diversarum esse naturarum. Ecquid vero significat conjunctio deitatis ejus et humanitatis, nisi unionem secundum hypostasim; quæ non est proprietas, sed modus dispensationis illius qui semet demisit, ut universum mundum liberaret? Porro Verbum factum est caro, quia sic corpus univit sibi, ut factum sit corpori hypostasis: hoc tantum excepto, quod divinitas particeps non fuerit operationum corporis. Corpus quoque ejus deificatum fuit; at factum non est hypostasis divinitati: quinimo corpus unam ex hypostasibus deitatis hypostasim propriam habuit, consorsque adeo fuit excellentiarum divinitatis; quia simul vivit adoraturque cum illo Deus, non propter naturam suam, sed quia est corpus Verbi. Quocirca dicimus incarnationem Verbi non esse incarnationem deitatis: hoc est, incarnationem personæ divinæ incarnationem non esse divinæ naturæ, quia deitas admittere non potest proprietates corporis. Dicimus etiam deificationem humanæ naturæ non esse deificationem personæ humanæ; quia corpus non possidet personam sibi, propriam seorsim a persona Verbi; sed Verbi Dei nostri hypostasis existens in substantia sua unita est carni, quæ in ipsius persona exstitit, ejusque persona naturam carnis assumpsit, atque in una hypostasi naturarum unio facta est. Quamobrem ipse est hypostasis composita, quia, si personam accepisset, quinam una filiatio fuisset? Filiatio quippe divina et filiatio humana non sunt una filiatio, et filiatio naturalis et ascititia non sunt una eademque filiatio. Enimvero si accepisset personam unam, omnino quatuor personas coleremus, Deumque recentem (3) adorarem, qui suapte natura non esset Deus. Si accepit hypostasim et mansit in hypostasi, ecquodnam fuerit mysterium absconditum a sæculis? aut quomodo fecisset mirabilia? Etenim habitat in nobis et conversatur, nosque sumus templum Dei vivi; qui etiam si hypostasim unam accepit, unam utique hypostasim liberavit: sin vero naturam quæ in sua persona subsisteret, plane toti naturæ nostræ salutem attulit. Quod si rursus una deitati et humanitati est persona, hoc profecto erit mysterium illud stupendum, inconsuetum et absconditum 15. At enim qui fieri possit aliam et aliam hypostasim, unam deitatis et alteram humanitatis, unam sine patre, et alteram sine matre, Filium unum esse. Sed et si ille natura Dei Filius, et ille Dei filius adoptione Filius unicus est, nos quoque omnes cum Dei Filio unus filius sumus. Atqui dictum nobis

est: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes* 16. Quomodo autem unius gradus erunt persona divina et humana, quando natura divina et natura humana non ejusdem ordinis sunt, neque una dignitas est earum, neque adoratio? Et hoc manifestum est, quia corpus Domini adoramus, non propter naturam ejus, sed propter hypostasim Verbi, a qua possidetur. Quapropter eum oportet adorare, non quatenus est homo, sed quatenus Deus. Si enim unio facta est secundum complacitum, aut amorem, aut imperium, plane non esset unio in unum Filium. Nam Patris et Filii et Spiritus sancti, complacitum unum est, voluntas una, operatio una, imperium unum, ordo unus, unaque trium unio, at non secundum unam hypostasim. B Verbum Filius Dei et Verbum unum factum est caro, quia Pater et Filius et Spiritus sanctus non una persona sunt. In Christo autem Domino nostro 17, quia hypostasis una est, et naturæ conjunctæ, sine alteratione et confusione, aut sine disjunctione, increata et creata, impassibilis et passibilis; quia differentiæ naturales exprimuntur per proprietates naturarum. Nunquid vero dici potest de duabus naturis permistis et confusis, duas esse naturas, quando confusæ sunt? Et cum nominantur naturæ duæ post unionem, quinam fieri non possit ut dicatur in unione secundum hypostasim citra confusionem duas esse naturas? Ego itaque non fateor esse naturam unam in Christo post unionem: distinctionem naturarum perfectam agnosco, cum tamen unitæ sint. Nam quantitas ingreditur in omnes partes cum distinctione. Et possibile non est ut res una a seipsa differat, secundum quod una est: quemadmodum ut neque persona a seipsa differat personali distinctione, quamlibet composita sit. Quapropter de natura una, etiam si composita sit, dici nequit differre illam a seipsa secundum naturam suam, distinctione qua discernatur. Et hoc manifestum est, quia corpus et anima in homine a se mutuo discrepant, suntque duæ naturæ, non una; et personæ humanæ seu individua, una species sunt. Quando autem differentiam habent essentialem qua una ab alia differat, natura una appellatur, non duæ naturæ. D Ubi vero naturas in Christo esse duas dico, non eas disjunctas confiteor, sed unitas; quia numerus non est causa divisionis. Sed numerus, uti signum est discriminis personarum, sic nota est quantitatis, sive res unitæ sint, sive separatæ. Atque hoc patet eo quod tres homines dicantur uniti in definitione naturæ ipsorum, cum hypostases distinguantur secundum proprietates personales. Sed et anima et corpus naturas duas unitas habent, secundum hypostasim scilicet, sed distinctas secun-

15 Ephes. iii, 5. 16 Psal. lxxxi, 6; Joan. x, 31. 17 Locus obscurus et mutilus.

#### NOTÆ.

(3) *Deum recentem.* Alludit ut sæpe alibi ad hunc locum, Psal. lxxx, 10: *Non erit in te Deus recens.*



dum quantitatem naturarum. Hinc sit ut dicamus Filium Dei, qui unus est de sancta Trinitate, duas habere naturas quæ unitæ sunt secundum hypostasim, mutua alterius in altera circuminceptione, servato termino differentiæ propriæ per qualitatem naturalem uniuscujusque secundum significationem suam, et servata unicuique definitione sua sine mutatione et confusione. Neque dicimus esse Filium alium et aliam, quia non est una natura. Si duæ personæ forent, nequaquam ipse Filius unus esset, adeoque quatuor coleremus. Sin vero natura una, omnino essentia Patris, illius essentia non esset, nec nostra essentia esset illius essentia. Alias essemus nos consubstantiales Deo Patri. Ea siquidem, quorum essentia per se una est, una quoque per se et vere natura est: essentia unius est essentia alterius, ita ut natura una non sit diversarum naturarum essentia.

X. *Duæ voluntates et operationes.* — Confiteor itaque Jesum Christum Dominum nostrum, unam esse hypostasim, duasque naturas in ejus hypostasi unitas; quia unio duarum **669** ejus naturarum in una hypostasi medium locum obtinet inter permistionem et divisionem, et utramque participat; quia custodit et servat unitatem, nec non exstantiam naturarum unitarum, earumque discrepantiam: neque naturæ sic distinguuntur ut separentur; at vero omni modo integræ manent. Quod si integræ manent, omnino numerantur. Neque dicimus post unionem distinctionem naturæ, sed naturarum. Cum autem duas naturas dicimus, unam proinde non dicimus, quandoquidem duæ sunt; quia numerus locum non habet in una natura. Illi vero

A qui dicunt duas perfectas post unionem ipsarum, necessario cogentur fateri duas naturas esse. Nam qui naturas duas memorat, de una sola non loquitur, sed de multis. Atqui hoc impossibile est, nisi res diversas censeas. Ideo quippe numerantur, quia diversæ sunt, et diversæ sunt, qua parte numerantur. Et de ratione duarum naturarum est, ut numerentur, cum uniuntur. Nec ullo modo dividuntur, nisi intellectus in conceptu suo dividat id quod re ipsa divisum non est. Cum autem duas esse naturas fateor, utique perfectas illas esse intelligo et sine ullo defectu, ut una perfecta sit divinitate, altera humanitate. Constat enim naturam divinam totam unitam fuisse cum tota natura humana, in una ex personis deitatis. Cum autem dico naturam divinam totam unitam fuisse cum humana natura tota, non intelligo omnes personas. Atque hoc certum est, eo quod in omnibus personis deitatis videtur natura tota deitatis sine defectu, et in qualibet persona ex humanis personis, natura tota humanitatis videtur integra. Nam Christus non assumpsit corpus solum, nec animam solum, sed assumpsit corpus animatum rationali atque intelligente anima, adeoque in ipso esse mentes duas fateor, divinam et humanam. Nam constat intellectum increatum intellectui creato fuisse unum, intellectumque patendi nescium unitam esse eum intellectu patibili, qui medius fuit inter subtilitatem divinitatis illius, et crassitiam corporis ejus, quemadmodum Gregorius Theologus (4) tradidit. Præditus porro est duabus voluntatibus (5), quia non reperitur natura operationis expers. Etenim vita hæc primum quidpiam est in natura humana, ipsaque ejus

## NOTÆ.

(4) *Quemadmodum Gregorius Theologus tradidit.* Hoc etiam docet Damascenus lib. iii *De fide*, cap. 6 et 28, sed omisso Gregorii nomine, cujus locos e pluribus aliquot subjeci in adnotationibus, una cum Rufini, qui ejus quondam discipulus fuerat, verbis. Liberet et alios e Latinis adducere, Ambrosiastrum lib. *de S. Trinitate*, seu in Symbolum apostolorum, magnum item Gregorium, lib. xvii *Moral.*, ubi ait: *Deus per divinitatem lumen est, qui mediante anima in ejus (Virginis Mariæ) utero fieri dignatus est per humanitatem corpus.* Id nempe astruxerunt Patres propter gentiles, qui Deum carni unitum esse sordidi aliquid innuere existimabant. Qua de re legendus est August. lib. x *De civ.* cap. 26; Eucherius item Lugdun. in fragmento quod hic exscribere ex lib. ii Claudiani Mamerti *De statu anime*, cap. 9. *Quærere, inquit, quidam solent quomodo in Christo misceri potuerit homini Deus. Quærunt rationem hujus mysterii quod semel factum est, cum ipsi reddere rationem nequaquam possint ejus rei, que fit semper, quomodo societur anima corpori, ut fiat homo. Ergo quomodo corporea res incorporeaque conjungitur, et corpori anima miscetur, ut homo efficiatur: ita homo conjunctus est Deo, et factus est Christus, et tamen ut fieret Christus, duo illa incorporea, id est anima et Deus, facilius conjungi permiscerique potuerint, quam miscetur una incorporea aliaque corporea, id est anima et corpus, ut persona hominis existat.* Sophronius Hierosolymitanus non aliunde factum esse probat, ut deitas et corpus in Christo citra confusionem aut diremptionem copulata sint, nisi quia Verbum in primis

unitum est animæ, et per eam corpori. *Viam, inquit, regiam mediamque gradientes, et confusionem et sectionem abominamur, μόνην δὲ κατὰ ψυχὴν ἀσπαζόμεθα τὴν ἀσύγχυτον ὁμοῦ καὶ ἀμέριστον θεότητος ἕνωσιν καὶ μόνην γνωρίζειν ἐπίσταται ἡ φυσικὴ καθ' ὑπόστασιν σύνοδος. Ταύτη γὰρ ἀλλήλαις ἐνοῦμεναι, θεότης τε καὶ ἀνθρωπότης, ἐσχήκασιν ἵνα μήτε τροπήν, μήτε διαίρεσιν πάθοιεν.* Secundum animam solam amplectimur inconfusam et indivisam deitatis et humanitatis unionem, quam solam exprimere novit naturalis (i. e. realis naturarum) concursus secundum hypostasim. Hæc enim invicem unitæ, deitas et humanitas, habuerunt, ut neque conversionem neque divisionem admitterent.

(5) *Præditus vero est duabus voluntatibus et operationibus.* Ex duabus naturis operationum duplex genus subsequitur. His omnibus admodum adversabatur olim Acacius Melitenensis, qui tempore dissidii Nestoriani hæc scribebat in epistola ad Cyrillum Alexandrinum quæ in excerptis Tragediæ Irenæi Tyrii ex duplici translatione habetur cap. 83 et 28: *Rogo zelum tuum, aiebat, qui secundum Deum est, ut pro cunctis quidem æqualiter Ecclesiis cogites, et. . . . cogatur unusquisque publice anathematizare Nestorii et Theodori dogmata. Præcipue hos, qui dicunt duas naturas post unionem proprie unamquamque operantem. Eorum namque qui in Germanicia sunt, aliquos experimentatus, inveniri quidem duos filios dicere recusantes: at vero duas naturas dicere non abnuentes. Unde, si concedatur ut dicatur utque doceatur ab eis quia unaquæque natura per semetipsam operatur, et hæc quidem passa est, impassibilis illa permansit;*



operatio, ut et intellectus ejus, tactus ejus, motus corporis ejus surgentis, animatio ejus, desiderium, ira, sensusque ejus, et appetitus cibi, et potus vitæ hujusce causa, et omnis conceptus quo in natura sua rationali sentiat, et velit ut dominus sui; quia voluntas arbitrii libertate pollens, sensus est intellectus nostri rationalis et vitalis. Nam irasceudi facultas et appetitus sensus sunt rationis expertes animantium: mentis vero nostræ sensus ipse rationalis est, sui compos, liberique arbitrii, estque adeo voluntas ipsa. Nam natura rationalis dominatur in ea quæ ratione et intelligentia carent. Qui sui dominus est, animam et corpus regit; at non simul Deum suum, cujus suapte natura servus est, cuique morem gerit. Atqui obedientia est libera subiectio voluntati alterius, quamlibet voluntas velit quæ naturalia sunt. Hæc cum omnibus hominibus data fuerit, accepta a Domino fuit, qua vellet id quod esset humanitatis; quia consecrarium omnino erat ut Dominus noster acciperet quod nostræ naturæ insitum a Deo fuerat. Quidquid enim ipse concessit nobis hoc assumpsit, quia per omnia similis factus est nobis, excepto peccato. Nemo autem nostrum vult peccatum qua libertate arbitrii præditus est; sed vult voluntatem illam quæ recedit a lege divina. Atque hoc non est usus naturalis voluntatis **670** nostræ liberæ, sed est transgressio usus naturalis declinantis a natura. Quocirca Dominus noster voluntatem humanam habuit, quæ non adversaretur voluntati divinæ. Enimvero assumpsit naturam quæ solo humanitatis nutu non moveretur: quandoquidem ad personam ipsius spectabat determinatio. Cum itaque divina ejus hypostasis una hypostasis esset, cum divinitatis, tum humanitatis, non movebatur nutu sibi ipsi contrario, sed naturali motu: et quia homo erat liberi arbitrii compos, sequebatur voluntas ejus voluntatem Patris sui divinam. Eam ob rem dicimus in illo esse duas voluntates, quæ deliberatione mutuo oppositæ non sint, sed naturarum: quia utraque natura vult et agit quæ sibi propria sunt,

A cum alterius communione. Verbum agit et vult quatenus Deus est id quod divinitatis proprium est, et ipsum per se etiam agit vultque qua parte homo est, illud quod carni proprium est. Utraque autem operatio una eademque sit, humana voluntate sequente divinam voluntatem quatenus liberi arbitrii est: quo fit ut operatio divina in operationem illius humanam agat. Quapropter quælibet natura operationes exerit proprietate sua naturali, et verbum per eas ambas propter utriusque unionem, neutra alteri repugnante, salutem nostram patravit. Nam voluntatem suam humanam exeruit exercitio naturali, obediendo divinæ voluntati, cui colligata esset. Neque peccatum fecit, neque dolus inventus est in ore ejus <sup>16</sup>, et ideo morti obnoxius non fuit, quia immunis fuit a peccato, ut qui Deus et homo esset; qui per utramque naturam abstulit peccata nostra. Morbos quoque nostros portavit, et mortem nostram suscepit, cum subiectus non esset morti, quia peccare non poterat. Quocirca factus est primitiæ resurrectionis nostræ, solutis doloribus mortis, nosque resuscitando secum, et collocando in excelsis coelestibus in dextera Dei Patris sui.

XI. *Baptismus, judicium, vita æterna.* Confiteor insuper unum baptisma ad pœnitentiam, per bonitatem et gratiam Dei Domini nostri, qui dixit baptizare eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et ut custodirent mandata sua. Ait enim: *Docete eos servare quæ mandavi vobis* <sup>19</sup>: quodque futurum sit gaudium magnum in cœlis pro uno peccatore pœnitentiam agente <sup>20</sup>. Itemque: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum* <sup>21</sup>. Confiteor insuper resurrectionem mortuorum; resurrectionem, inquam, corporis, qua beata fiet anima, unaque hæreditatis compos. Confiteor esse judicium et remunerationem, ac Jesum Christum judicem fore, qui veniet judicaturus unumquemque juxta opera sua. Denique confiteor vitam æternam, cujus non erit finis, nec non perpetuum supplicium fore perinde atque vitam æter-

<sup>16</sup> Isa. LV, 4. <sup>19</sup> Matth. XXVIII, 19, 20. <sup>20</sup> Luc. XIII, 7. <sup>21</sup> Matth. III, 2.

#### NOTÆ.

nihil est aliud nisi duos iterum filios confiteri et partes (alia translatio, personas) induci. Sic bonus ille Acacius Monophysiticam hæresim, Monotheticamque præformabat; qui non ita pridem non sine imperatoris indignatione palam pronuntiaverat; *Deitatem esse passibilem*, ut refertur cap. 27 *Tragediæ*. Aliam fuisse Cyrilli mentem agnovit Joannes ipse Antiochenus in epistola ad Alexandrum Hierapolitanum, quæ ibidem habetur cap. 50: *Nam Cyrilli quidem capitula, inquit, obumbrata habent incongruitatem: nunc autem qui potestatem, obtinuerunt, inimici Dei, proponunt anathematizandos esse hos qui dicunt duas naturas: quod nec ipse qui primus illorum exstat, Cyrillus, dicere clare præsumpsit.* Rursum dum de pace cum Cyrillo pangenda ageretur, eidem Alexandro testificatus est Cyrillum alienissimum esse ab Apollinariis mistione et confusione

D naturarum; et alteram dicere esse divinitatem, alteram corpus. Sic enim supersignando adjecisse: Quia impassibilis Divinitas, quia duæ naturæ. Quod nullus horum qui nunc sunt in Ponto habitantes aut dixit aut sapuit. Et sunt hæc manifestissima convictio contra illos. Et utinam contingat eum, qui est ex vicinis tuis (Rabbulam, ni fallor, Edessenum), occurrere in hanc confessionem, et alios qui ultra Taurum sunt (inter quos Acacius) et omnia ipsis quoque soluta sunt. Duas itaque naturas in persona Verbi substantes Cyrillus agnoscebat, nec nisi eas ὑπερτάτας, id est in seipsis subsistentes negabat, ut declarat epist. 2 ad Success., ubi insuper Verbum divinum humanitatis natura, quam sibi propriam fecit, non deitatis, esse passum, docet, ut sæpe alibi, ut nec ipsi quorundam suorum error nisi per summam injuriam alligi possit.



quod finem nullum habebit, secundum justitiam A et bonitatem Dei, cujus sunt potentia et misericordia.

XII. *Sex concilia generalia.* — Præterea admitto sex magna concilia quibus episcopi totius orbis adfuerunt. Concilium primum, quod in urbe Nicæna habitum est tempore Constantini Magni imperatoris, contra Arium qui deitatem dividebat. Item illud quod coactum est Constantinopoli coram Theodosio Magno propter Macedonium Spiritus sancti hostem. Tum illud deinde quod convenit Ephesi auspice Pulcheria, cujus faustus exitus fuit, contra Nestorium Anthropolatram et Judaicæ indolis. Illud rursus quod collectum est in civitate Chalcedonensi coram Marciano imperatore, cujus sincera religio fuit, et coram Pulcheria, cujus modo facta est mentio propter insignem ejus æquitatem contra Eutychem monachum et contra Dioscorum qui permiscebant essentias, et contra innovationem eorum in fide, qua naturæ confundebantur. Concilium itidem quod Constantinopoli contigit in præsentia Justiniani magni imperatoris, adversus Origenem erraticæ opinionis virum, et contra Diodorum et Theodorum præceptorem Nestorii, nec non contra epistolam Ibae. Concilium denique sextum quod denuo Constantinopoli, quæ est nova Roma, coactum est, sanctum illud, magnumque et præstantissimum episcoporum orbis, præsentate Constantino novo Christiano, contra Sergium, Cyrum, Petrum, Paulum et Macarium, qui unam in Christo voluntatem prædicabant, et contra eos C qui voluntates ambas inficiarentur, dicentes esse naturam sine voluntate. Hæc porro sunt sex sancta

concilia magna, quibus assentior ego, et confiteor eorum decreta pura esse, quæ Deus ipsis tradiderit. Suscipio quæ susceperunt, et rejicio quæ rejecerunt, eaque diris perpetuis digna censeo. Insuper et Novum [Testamentum (6)] admitto cum agnoscam Patrem et Filium et Spiritum sanctum in illis omnibus prædicatum locutum esse, Deum unum. Honoro etiam servos Dei qui ipsi placuerunt a sæculo; justos scilicet, et patriarchas, prophetas, apostolos, martyres, pastores, sanctos viros, qui mentes suas expurgando, rejecerunt a sermonibus veritatis omnem opinionem adulterinam et superfluum. Exsecror innovationes quæ factæ sunt circa fidem a tempore Simonis Magi usque nunc; quasque virtus pervicax Satanæ effutiit, implicando socios suos sermonibus impuris.

XIII. *Conclusio.*—Confiteor me suscipere canones sanctos sanctorum apostolorum, canones item sanctorum synodorum, et canones sancti Patris nostri Basilii Magni meque totis viribus observaturum quæ per illos Spiritus sanctus locutus est, ducendo gregem quem Deus per vos commisit mihi, ab omni probro, crimineque damno, et contrarietate liberum. Hæc est professio mea, qua efficiar idoneus, ut astem coram tremendo Christi tribunali, et per eam consequar benignitatem Domini mei. Non enim me fore justum spero propter opera mea, sed per fidem in Jesu Christo Domino nostro, perque misericordiam ejus, per intercessionem Matris Dei nostri et omnium sanctorum et per orationes vestras sanctas; quia Patri et Filio et Spiritui sancto est gloria in sæcula sæculorum.

## NOTÆ.

(6) Deest hic aliquid de Veteri, ni fallor, Testamento et instrumento, quod auctor abs se admitti dixerit, subindeque Novum.

**671** *In eodem codice Arabico partem Orationis Joannis Damasceni de imaginibus reperi aliquantum diversam ab editis, quam ex toto omittendam non censui, in primis propter quemdam Chrysostomi locum, ex homilia in Lazarum quæ inter ejus opera nondum prodit(7).*

Omnino consentaneum est Christi Domini nostri Salvatoris passionem et miracula pingere, ut quando percontabitur a me filius meus, quid imago illa representet, respondeam, Deum nostrum Verbum Dei esse factum hominem, atque hoc pacto ingressum esse in Jordanem, non propter Israelitas, verum ut natura nostra per ipsum rediret ad felicitatem æternam, per quem exaltata fuit ex inferioribus terræ partibus, seditque in throno Dei super omnes principatus.

Sed forsitan dicet adversarius: Eam ob rem per nos licet facias imagines Christi et matris ejus, et hoc tibi sufficiat. Cui respondebimus sententiam hanc contumelia plenam esse. Te namque sanctorum ho-

stem profiteris. Cum enim Christi, non sanctorum imagines facias, palam significas te a sanctorum imaginibus abhorrere. Dum autem suo sanctos honore spoliis, facinus admittis quod nemo antehac patrare ausus fuit, imaginem quippe Christi idcirco facis, quia gloria dignus est, sanctorum vero respuis, quia effigies sunt eorum qui nullum honorem mereantur, sicque veritatem mendacii accusas, quæ ait: *Vivo ego, dicit Dominus, qui honoro eos qui honorant me: et eos qui me glorificant glorifico*<sup>22</sup>. Et Apostolus: *Itaque jam non es servus, sed filius: quod si filius, et hæres Dei per Christum*<sup>23</sup>. Et: *Si compatimur, et conglorificabimur*<sup>24</sup>. Non ergo debes sanctorum imaginibus bellum indicere. Dicit enim Joannes apo-

<sup>22</sup> I Reg. ii, 50. <sup>23</sup> Rom. viii, 17. <sup>24</sup> I Cor. xii, 6.

## NOTÆ.

(7) Fallitur vir doctus. Vide Fabricium col. 42 tomi superioris. EDIT.



stolus qui supra pectus Domini recubuit, *quod similes ei erimus*<sup>25</sup>. Atqui sicut ferrum quod est in igne, evadit ignis, non natura, sed conjunctione cum igne, exustione et tactu, sic caro facta est Deus, non sua-  
 pte natura, sed contactu et affinitate: quia unione cum persona Verbi et divinæ naturæ contactu, non conversione, evasit Deus. Non autem unxit eam Deus, ut unum quemdam ex prophetis, sed totius ungentis præsentia. Quod vero sancti quoque facti sint dii, Propheta his verbis significavit: *Deus stetit in synagoga deorum*<sup>26</sup>. Stans porro Deus in medio deorum dignitates et merita singulorum discernit, ut Gregorius Theologus est interpretatus.

Davidi Deus mandavit ut per Salomonem filium suum templum ædificaret, hocque sibi elegit quod habitaret: ac subinde templum Salomon extruxit, in quo Cherubim fabricavit, ut in fibris Regnorum scribitur. Cherubim autem obtexit auro, et inculpsit in muris ejus per circuitum intus et extra imagines Cherubim et palmas. Non dixit eum ornavisse parietes, sed in ambitu ejus simulacra taurorum et boum et arborum, et malogrânatorum expressisse. Nonne vero convenientius decentiusque est, ornare muros templi Domini imaginibus sanctorum, quam armentis et arboribus? Lex quidem prohibet ne similitudinem omnem faciamus; ac tamen Salomon Cherubim, boum, et leonum simulacra fabricavit: non ut Dei similitudinem exprimeret, lege cavente ne ulla ejus similitudo fieret: nos vero nequaquam Dei similitudinem exprimimus, quando pin-

gimus imagines sanctorum. Et sicut per sanguinem animantium et per cinerem vitulæ templum et populus mundabantur, sic nunc per sanguinem Christi qui testimonium martyrii obiens sub Pontio Pilato se martyrum primitias obtulit, et per sanguinem sanctorum quibus Ecclesia est ædificata. Ut cum olim templum animantium figuris ornaretur, sic nunc Dei templum imaginibus sanctorum, quorum animæ rationabilia templa fuerunt, in quibus mansit Deus per Spiritum sanctum.

Cum vero Christi Dei nostri effigiem facimus, non eum spoliamus exercitu suo. Domini autem exercitus sunt sancti. Quocirca Joannes Chrysostomus in homilia de Lazaro, cujus initium est: *Omnia scientia a Deo est*, ita loquitur: « Ubi quis honorat amicos Christi, ad Christum exhibitio ista honoris pervenit, qui non desinit esse beneficus et benignus, præsertim cum continuatur et perseverat erga illos veneratio. » Exercitum missum faciat imperator terrenus, coronamque et purpuram deponat, tumque venerationem hanc illis adimat, qui contra tyrannum strenui apparuerunt, dominantes cogitationibus et affectibus suis: qui cum facti sint hæredes Dei et cohæredes Christi in gloria et regno illius, quomodo non sint amici Christi, ejusque honoris consortes super terram? Utique Deus ipse noster aiebat: *Ego non dicam vos servos, quia amici mei estis*<sup>27</sup>. Eos igitur oportet honorare quo honore ornavit eos Ecclesia, etc. *Reliqua omitto quæ nihil discrepant ab iis quæ alias edidimus.*

<sup>25</sup> I Joan. III, 3. <sup>26</sup> Psal. LXXXI, 1. <sup>27</sup> Joan. XV, 15, 19.